16

Coram Consiliarijs Terrarum Prussiæ in Conventu præsenti congregatis, personaliter comparentes, Nobiles et Spectabiles Johannes Zimmermannus, Præconsul et Andreas Baumgard Consul Thorunensis, Joannes Koja Præconsul et Henricus Eske, Consul Elbingensis, atque Johannes Ernestus Schröer Consul Gedanensis, audita protestatione per Generosum Joannem Golocki Notarium Terrestrem Lublinensem de indemnitate Jurium ac Prærogativarum, sibi vigore quasi quorundam Jurium ad connotanda acta in Statis Conventibus seu Diatis, Mariæburg. pro Festo Sancti Stanislai, Thorunij autem pro Festo Sancti Michaelis celebrari consuetis, occurrentia, quasi competentium solenniter atque in Juris forma amplissima viçissim reprotestantes et protestantes, nunquam Notarijs Terrestribus ullis actorum præfatorum connotationem competisse, nec ullum ad hoc usquè tempus Notarium Terrestrem ab omni retroacto tempore munus hoc affectavisse, multominus in possessione illius fuisse, proinde Manifestationem hanc suam interponunt, se adversus affectationem præfati Generosi Domini Notarij Jura et consuetudines Terrarum Prussiæ viriliter tutaturos defenturosque esse, hac præsenti sua Protestatione ad præmissa omnia mediante. Actum Thorunij in Conventu generali Terrarum Prussiæ Feriâ Secundâ ipso Die Festi Sancti Michaelis Archangeli Anno Domini 1636.

/LS/

Georgius Szekanowski
Notarius ad acta Consiliaria
ventualia Thorunen
ad præsens assignatus

Ex actis Dñorum Consiliariorum legitime extr.
Correxit Gorzuchowski